



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 6. De peccatis Medicorum

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

peribus, quibus ex vi publici stipendii servire tenentur. Alii denique sunt: qui nullum salarium ex ærario publico accipiunt, hi à particularibus conveniens salarium accipere possunt, cujus quantitas publico decreto, usu vel consuetudine approbata, mensurari debet. Aliud est de Chirurgis, qui artem, industriam, laborem, medicinam, unguenta præstant, hæc enim omnia in æstimationem & computum deduci debent, & secundum illa solutio fieri.

Articulus Sextus.

De peccatis Medicorum.

1. **P**eccant mortaliter, qui permittunt vel procurant se ad gradus Licentiæ vel Doctoratus in Medicina promoveri, quamvis sciant se ignaros vel insufficientes, si intentionem habeant exercendi Medicinam: Similiter peccant ij qui tales promovent.
2. Peccant qui ignari & inexperti scientiæ Medicæ, medicinas ordinant, subsistente aliquo periculo vel damno, quia qui alicui periculo alium exponit, tantum peccatum

committit quantum est periculum, cense-
tur autem exponere periculo mortis vel
gravioris infirmitatis, aut diuturni morbi,
qui ignorat constitutionem ægroti, quali-
tatem morbi, virtutem medicinæ.

3. Peccant qui etsi artis medicinæ gnari,
adhibent tamen ex proprio cerebro non
nulla, quibus infirmus gravibus periculis
exponitur, solum ut experimentum ac-
cipiant.

4. Peccant qui spe majoris lucri infirmi-
tates prolongant, quas citius sanare pos-
sent, quo vitio singulariter laborant Chi-
rurgi, in longum curas suas protrahentes
absque causa.

5. Peccant qui utuntur aliquibus mediis,
vel suadent ægroti aliqua quæ sunt contra
Dei mandata.

6. Peccant qui abortum post animatum
fætum per potiones medicas scienter cau-
sant, hi enim homicidii rei sunt. Similiter
qui extra casum necessitatis potionem ad
abortum præbent, etiam ante animatum
fætum mortaliter peccant.

7. Qui negligentia oportunaæ visitationis
in

in causa sunt vel gravioris infirmitatis, vel diuturnioris languoris, vel etiam mortis.

8. Peccant qui infirmum periculose laborantem non monent, aut per alium efficaciter moneri curant ut confiteatur, & de sua anima disponat.

9. Si ob æmulationes quas ad invicem habent, nolunt cum aliis ad consultationem concurrere, aut in consultatione malitiose sibi invicem contradicunt, aut consilium suum pertinaciter etiam contra veritatem agnitam defendunt, in grave detrimentum infirmi.

10. Pharmacopæi frequentius se peccatis mortalibus intricant. 1. Si medicinas corruptas & antiquatas exhibeant. 2. Si pharmacum unum pro alio velut æquivalenti misceant. 3. Si pharmaca ipsa, ut Syrupos sophisticent. In quibus non minus peccant Medici, qui illa fieri sinunt, & participatione lucri marsupium unum cum illis faciunt. 4. Si extra jurati Medici certam ordinationem, aliquid venenosi admisceant. 5. Si venena vendant ut sicutam, Salamandram, mandragoras cantharydes, &c.

Tractatus Tertius,
 quæ jure etiam civili vendi prohiben-
 tur.

TITVLVS XXXI.

De Militia.

Articulus Primus.

Quid sit Militia.

1. **M**ilitia est hominum multitudo, au-
 ctoritate publica collecta, sub
 præfectis & Ducibus congruis legibus ar-
 tificiose adunata, Sacramento sive Jura-
 mento obligata, ad juste, & justitiæ affectu
 hostes reipublicæ vel propulsandos vel
 persequendos, amore justitiæ & pacis or-
 dinata. Dicitur (*auctoritate publica*) quæ
 residet in Rege, Principe supremo, vel re-
 publica independente: non tamen in infe-
 rioribus, nisi de auctoritate superiorum,
 aut in casu angustiarum, vel necessariæ defen-
 sionis: Dicitur (*artificiose adunata*) con-
 tinet enim militia artem singularem, sive
 se & rempublicam fossis, vallibus, armis, vigi-
 lijs defendendi, sive industrie & ordinate

in a.